



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Hebdomas Patientiæ Sive Methodus Facilis Totam Septimanam Inter Omnes Fortunæ, Ac Vitæ, Coeterosque Casus Humanos In Sancta Quiete, Pace, Et Patientia Transigendi Ex Consideratione, Imitatione Et ...

Dietmer, Georg

Moguntiaë, 1674

Caput II. In honorem dolorum B. Virginis Mariæ patienter ferre oportet
calumnias detractones, accusationes, & delationes falsas.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-46586](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-46586)

CAPUT II.

In honorem dolorum B. Virginis Mariæ patienter ferre oportet calumnias detractiones, accusationes, & delationes falsas.

Ingenuus es Parthenophile, imo plane Inobilis; eam enim pro matre agnoscis & habes; quæ Patriarcharum, regum, ducumque non modo in terris filia existit; sed quæ & modo audiat, sitque regina mundi, ac cœlestis totius hierarchiæ. Unde nihil æque animum tuum pulsat, eumque citius è statu suo deijcit, quam si falsis criminationibus, inopinatis calumniis aut detractionibus infesteris; nec hoc omnino immerito: si enim sapientissimo Regum credimus *Eccl. 7. calumnia conturbat sapientem, & perdit robur cordis ejus*; dum scilicet, ut ait Gregorius Thaumaturg. insidias struit, & constantem labe faciat virum. Neque tu solus criminationes ejusmodi & calumnias metuis; vel detractionibus liberari appetis. Metuebat olim & ipse, qui sic scripsit spiritu sancto afflatus *Eccl. 26. A tribus timuit cor meum, & in quarto facies mea metuit delaturationem*

ram

ram civitatis, collectionem populi, & calumniam mendacem. Liberari vero petiit, qui alias patientiæ suæ securus, alloqui Deum sic non est veritus: *Memento Domine David, & omnis mansuetudinis ejus. cum Psal. 118. rogat: Redime me à calumniis hominum, ut custodiam mandata tua. Verum cum & ingenuus sis, sanctissimæ matris tuæ vestigia, & monita sequaris necesse est; & cum de nobilitate tanta glorieris, etiam heroicos actus, ac strages edas, summopere te addecebit. Porro amantissimæ matris vestigiis, monitisque insistes; si ex ejus observantia falsas, verasque accusationes, delationes injuriosas, calumnias, ac detractio- nes absque omni excandescencia, & vindictæ meditatione studiose coneris perferre. Generoso autem facinore te exornabis, si ad objecta taceas, remque totam divinæ providentiæ transmit- tas, victoriam certam consecuturus, ut ait S. Ambrosius serm. 17. in Psal. 118. Christi calumniis appetitus silentium detulit triumphale. Possẽm tibi hoc loco, mi Parthenophile catalogum bene longum af-
ferre*

afferre eorum, qui injuriis, ac criminationibus ejusmodi laceffiti, gloriose divinam eos comitante gratiam naturam impetus devicerunt: sed ne copiosior sit eorum series; quam ut hocce libello contineri possit; unius duntaxat qui præ reliquis Virginei honoris tuendi cense-ri potest fuisse studiosior, exemplum in medium proferam.

Testatur de Beatissimo comite Elzeario in vita ipsius virius, eum ab impiis Arrianis multas injurias, atroces contumelias, falsaque testimonia quæ feliciter ulcisci posset, pertulisse, in iisque perferendis sic se continuasse, ut etiam præcipuum eorum architectum ad se cum reliquis nobilibus accedentem præ reliquis honorifice exciperet, ac singularia peculiaris amicitiae officia ostenderet. *Dalphina* castissima conjux rem admirata, ut certius veritatis ejus periculum faceret, in hæc verba scribitur eum allocuta. *Quid Tu hominis es Elzeari? qui nunquam erga eos, qui calumniis & injuriis te onerant, commoveris: Truncus es, an rupes? certe homo es, aut forte nescis & ne-*
quis

quis

quis irasci? ad quæ compositissimo vultu Elzearius: *Ecquid prodest Dalphina irasci? nihil profecto, explicabo tibi arcanum pectoris mei: noveris itaque me aliquando sentire aliqua in animo adversus infestantes me indignationem; sed illico converto me ad expendendas injurias falsaque testimonia Christo impacta, eumque imitari gestiens, mihi dico: etiamsi famuli tui barbam tuam convellerent, & colaphos tibi infringerent, nihil esse ad Dominum tuum, qui majora perpessus est. Certumque habeas, Dalphina, me nunquam cessare à commemorandis injuriis salvatoris, donec animo pax, & tranquillitas oriatur. Generosi ista militis Christi, ac synceri filii Mariæ dicta sunt, & facta Parthenophile. Durum licet fateor, ac permolestum. Simile tamen, aliquid omnino à te spero, exspectoque, qui amore Christi patientis, & condolentis amantissimæ Matris tuæ exemplo adductus statuisti omnino patientiam excolere. Quo namque judicio, inquit S. Franciscus de sales, dilectionem nostram probemus ei, qui tanta nostri causa pertulit opprobria, nisi repugnantis nature motibus domandis, & contradictionibus aliorum patienter ferendis: Ad hanc.*

hancce patientiam dolorissima Mater tua te hortatur Parthenoph. verbo, & exemplo. Verbo quidem dum ait: *O vos omnes qui transitis per viam, videte si est dolor, sicut dolor meus.* Exemplo autem, quando patientissima Virgo omnium injuriarum, ac falsarum criminationum, filio illatarum particeps effecta, Maria cum Jesu tacebat. Quam invicta inter atrocissimas calumnias filio, sibi que impactas? quam nulla unquam dejecta mole incubantium malorum; per omnia similis hac in parte filio, qui saturabatur opprobriis & maledictis, & cum constanter accusaretur, tacebat patientissimus tuus, meusque Jesus: tacebat omnium calumniarum ac detractionum particeps Tua, meaque amantissima Mater. Illa, illa afflictissima Mater per mediam infamiam, per derisiones, sanas, & exprobrationes, quasi Mater deterrimi latronis cum filio tendebat ad ultimi supplicii locum, & à lictoribus Deicidis circumdata stabat invulnerabilis, undique injuriarum vulneribus perfossa; nec aliud contra Virginem poterat gens maledicens, & blasphemans, quam

quam

quam possit contra solem obsusa nebula. Sed age sis, Parthenophile, apud animum tuum perpende, quo demum animo laturus esses, si Pater tuus, Materve, frater aut soror iis criminationibus, delationibus, calumniis, accusationibusve falsis afficeretur, quibus Dei & Mariæ filius exceptus est vel in vita, cum eum potatorem, amicum publicanorum, habentem dæmonium, & magum vocitabant; vel dum eum in passione sua seductorem, blasphemum, latrone deteriorem exclamabant; vel cum affixum jam cruci capita sua moventes & blasphemantes deridebant. dicebantque Vah qui destruis templum Dei? si filius Dei est, descendat de cruce; speravit in Deo, liberet nunc si vult eum. &c. Age, inquam, si hæc Patri, fratrive tuo innocenti contingerent, quid tibi animi superesset? An non mille millia si posses tonitrua in calumniantium capita contorqueres? Et fiebant tamen illa dilectissimo suo filio Jesu, & tacebat illa benedicta, gemens quidem, & dolens, sed tamen patientissima Mater Jesu.

Age

Age igitur Parthenophile tantæ Matris te filium non degenerem, sed fortem proba ac magnanimum; & quando omnia tibi possibilis in honorem dilectissimæ tuæ Dominæ & agere, & pati decrevisti, hocce die, qui tibi per annum sæpius redibit, atque utinam semper faustus! quibus quibus demum calumniis afficiaris, eas tacitus perfer, omni abstinens inprecatione, omni cupiditate vindictæ, tibi que ipsi sæpius occine: *Parthenophile esto quod audis, nempe genuivus filius Mariæ.* Video quid mihi possis reponere, duo scilicet: Alterum est, velle te equidem perlibenter eas injurias & infamiam perferre, si reus esses; aut talia innocentem sustinere, nimis arduum videri. Alterum est, timere te, ne, si ita tacitus ea opprobria perferas, omnibus fias despectui; metuis nimirum te habendum reum, aliaque, ac alia pericula incursum. Itanè sane Parthenophile? non te multis responsionibus ego quidem fatigabo; novi genium tuum ad virtutem pronum, hinc tuis querelis repono primo quod memorat

morat *Lucas Wadingus in annal. ad annum 1278. n. 29.* B. Joannes Pechamus Anglus humili quidem loco natus, alto tamen ingenio præditus. In prima adolescentia litteris operam dedit Lutetiæ Parisiorum, Magistro usus S. Bonaventura cujus insistens vestigiis in ordine S. Francisci doctrina, & sanctitate excelluit. Sed non defuerunt calumniatores, neque enim egregiæ virtuti sua deesse tinea potest, accusatus namque apud S. Bonaventuram Magistrum generalem, ordinis, doluit quidem valde ob inustam honori maculam, & denigratam famam. Dum tamen coram imagine Christi in crucem affixi ferventius oraret, & profusis lacrimis conquere-retur injuste tantas se pati calumnias, atque id à Domino permitti; intonuit ex alto Crucifixus, & subsequentes versus vel sub hoc ipso metro, aut certe sensu pronunciavit, qui in hunc ipsum diem habentur exscripti ante ipsam imaginem Crucifixi:

Et ego quid demerui pendens inter latrones?

Oravi, nec obtinui carnis petitiones.

Cali-

Calicem mortis sorbui, Patri placere studui per
carnis passiones.

Ergo non murmur exeat, si non fit, quod orasti,
Dum fraudat desiderium, ad majus beneficium
datorem obligasti.

Ad me si levas oculus, vides argento vendi,
Tradi quoque per osculum, & dure comprehendi;
Et alligari funibus, confici verberibus, sine lege
parcendi:

Relinquor ab amantibus, velut jam desperatus,
Præsentor Pontificibus quasi latro ligatus;
Quos amavi fortius ab illis citius sum spretus, &
negatus.

Tibi clamor, derisio, severitas minarum,
Et capitis velatio, & ictus maxillarum.
Omnes impune feriunt; & quidquid mihi fa-
ciunt videtur esse parum.

Saturatus opprobriis ducor ad Pilatum,
Renovatis injuriis ruunt in accusatum.

Hinc homicidam liberant; & me cruento ver-
berant ad mortem indicatum.

Nilibi habet veritas, si ve jus alligando,
Sed æmula clamoritas prævalet insultando.

Nec Præses dat præsidia, nec curam gerit curia de
justo liberando.

Quasi vile mancipium dat in Herodis manus,
Mox producor in medium, deludor ut infanus.

Tandem remissus Pontio, diro mortis supplicio
condemnor ut profanus.

Extra muros ejicior; & ipse crucem fero,
Matre vidente vestimentis spoliior, quæ gero!

Tan-

Tandem clavis confodior, & in cruce morior, de
vita non despero.

Tu ergo vermis non turberis, si statim non consequeris, quidquid à Patre queris.

Obstupuit hisce auditis cæterum religiosus Pater, ac spiritali plenus dulcedine patientique animo deinceps tulit calumnias, quas tamen pro paterna sua cura in morigerum filium optimus Deus illico detegi permisit. Neque ego ullus dubito, si animum tuum Parthenophile serio ad piissimos versus hosce meditando sæpius applicueris, fore ut & tu similes patientiæ spiritus concipias. Ad alterum quod attinet querelarum tuarum punctum, cum scilicet metuis te plane ab injuriis opprimendum; mihi crede, si consilium meum sequaris, ac in honorem, reverentiamque dilectissimæ tuæ Matris hæcce injurias heroico animo coneris perferre, te ab omni periculo, ac detrimento liberum ab ipsa Domina conservatum iri. Fuit, qui mille convitia, & flagitia comminisceretur in S. Venturinum ex ordine S. P. Dominici, quo plus quam vaticanum suum odium explere posset;

jam

jam statuerat ad moderatorem deferre, jam portas accesserat, ut Præsidi confidens criminationes exponeret, cæterosque religiosos in Venturinū concitaret; verum transeundum erat Accusatori templum, ubi in innoxium Venturinum incidit; precabatur autem is ante sacram Dei Matris imaginem, atque ita in sublime elatus à terra apparuit, ut altitudo in aëre suspensi altitudinem imaginis exæquaret, & è regione illius Venturinus penderet. Accessit aliud prodigium; criminator siquidem Venturino insuper loquentem audivit Matrem DEI, verè in servis suis etiam admirabilem: ex quibus visis, ac auditis in tantum fuit exterritus, ut agnitum errorem, pessimumque consilium mutaret simul, & damnaret peccatum confessione expians; tum veniam à viro sancto precaretur, serio professus, nemini impostero quam Venturino se amiciosem fore. *P. Barry in anno Marian. 28. Martii.* Vide sis Parthenophile curam, ac maternum animum ter Electæ Virginis Matris nostræ erga suos clientes,
B qui

qui injurias sibi illatas & sustinere patienter; & rei totius exitum Matri æterni judicis commendare ferventer consueverunt. Sed libet insuper aliud forte terribilius, sed æqualis vel majoris solatii exemplum adjungere ex *Philiberto Moneto in litte ann. Collegii Gandens. 1612.* In finitimo quodam oppido Gandiæ mulieri pudicæ, & piæ petulans mulier objecerat in jurgio per summā calumniam, quotquot haberet liberos, eos omnes ex adulterio suscepisse. Quid animi existimas Parthenophile fuisse piæ Deiparæque, addictissimæ Matronæ? rem tacitus totam illi, quam plus amabat suis liberis, & oculis Virgini commisit discernendam. Itum noctu cōbitum; sed vix fœmina somnum ceperat, cum à marito nimiū injuriosæ culumniæ credulo è lecto exturbata, ad arborem rapitur, laqueoque ex ea, propria carnificis mariti manu suspenditur: sed erat quæ manum supponeret consolatrix afflictorum, imo & funem dirupit, non secus, quam si novacula discissus fuisset. Ergo inconcubia

bia

bia nocte tacite gementem, remque totam DEO, ac miserorum solatio Mariæ commendantem denuo miseram oviculam conjugem in editum collem protractat, magnoque impetu sæpius impulsam in præruptas rupes præcipientem dare conatur; sed nec vestigio movere poterat, firmante eam manu MARIÆ. Retractam ergo denuo domum uxorem lecto se dare imperat, quod cum executâ esset misera, certa que mori, fistulam ferream glandibus plumbeis fartam in pectus uxoris, identidem opem Virginis implorantis explosurus admovet, verum flamma nulla ex sulphurato fomite concipitur. Ergo alteram expedit flammâ concepturam, & is excussus quidem est ingenti fragore, ac in sinum pavidæ mulieris summo impetu delatus globus, sed quasi laneus esset ictu penitus inani. Unde tandem conversus latro maritus veniam rogat, facileque à mitissima conjugè impetrat; uterque vero se æternum Dei Matri, devotissimeq; devovet. Ex quibus, aliisque sexcentis facile colligis Parthenophile,

quo sub præsidio versentur ii, qui injurias criminationes æquo animo ferentes, exemplo Virginis, gemente quidem animo, cœterum pacato, & in DEI voluntatem resignato perferre allaborant. Tu, age, propositumque ejusmodi apud animum tuum concipe, ex amore, compassionisque affectu erga dolorosam tuam Matrem omnes calumnias, detractiones, omnesque delationes sive iis veritas subsit, sive malevolo animo confictæ fuerint, quo decet Martyrum Reginæ filium, heroico animo perferendi, erit tempus cum hujus sibi delati cultus memor, patientiam tuam æterno præmio per filium suum coronari fidelissima Mater exposcet.

CAPUT III.

Sæpius memoria versandos dolores B. V. M. quod aptissime fiet recitando officium de dolorosa Dominâ nostrâ.

NOsti equidem Parthenophile ipsam dulcissimam Matrem tuam apud S. Bri-